

fuisset imperantis, potestati utilitatem adscribe-
rent. Sed quid fecit! Omnia paupera et vilia ele-
git, omnia mediocria et plurimum obscura, ut
divinitas sola cognosceretur orbem transfor-
masse terrarum. » Hinc de seipso dixit Isa. c.
LIII. *Ascendet sicut virgultum, et sicut radix
de terra silienti*: h. e. de matre pauperula
parvulus pauper nascetur, *Non est species, ne-
que decor*, quia decor ejus latebat sicut radix
in terra; unde tamen progignitur arbor pul-
chra, umbrosa, foecunda, h. e. Ecclesia per to-
tum orbem diffusa, ut exponit S. August. serm.
XXXVI. et L.

V. In ejus morte et cruce, quæ *Judæis quidem
scandalum, gentibus autem stultitia fuit*, I. Cor. I.
Sed prorsus stulte et absque ulla causa.
• Inde contra auctorem vitæ homo scandalum
sumpsit, unde ei amplius debitor fieri debuit.
Nam tanto Deus ab hominibus dignius honoran-
dus est, quanto pro hominibus et indigna susce-
pit, ait S. Greg. hom. VI. quæ est in hod. Evang.
Primo enim hoc egit divino consilio, ut charitatem
suam erga nos demonstraret, et vel hac ratione,
quos aliis viis frustra sæpe tentarat, sibi nos
conciliaret, dum mortem nobis decretam in se
suscipere voluit. Quis in tantum amatorem non
vicissim amore mutuo rapiatur? Quis enim alius
facile pro altero vitam suam ponit, et quidem
per tot ignominias ac cruciatus? Obtulerat qui-
dem se Petrus ad moriendum pro Christo: *Animam
meam pro te ponam*, sed temere et eva-
nide nesciens quanta res, et quam arduum id
esset, unde audiit: « Animam tuam pro me
pones, q. d. itane facies pro me, quod ego non-
dum pro te? Præire potes, quo sequi non po-
tes? Audi quid sis: Non cantabit gallus, do-
nec ter me neget; » ait S. Augustinus tract.
LXVI. in Joan. XIII. Repertus quidem et Sam-
son fuit, qui, ut Philistinorum hostilem exerci-
tum a gente sua amoliretur, passus est se vin-
ciri a suis, ut traderetur hostibus, ne tota gens
ab illis extrema pateretur. Inseruit ergo Sam-
son valida illa brachia fortesque manus suas in
funes et vincula amore patriæ suæ. Verum cum
in conspectu hostium expositus esset, illique
cum ingenti furore ac clamore in eum velut
capitalem hostem suum incursarent, tantum
furorem in se grassantem non sustinuit, sed
ruptis vinculis se defendere, hostesque ipsos
cædere quam ab ipsis cædi maluit, Jud. XV.
Samson ergo cum adhuc liber, sanus et integer
corpore esset, (postea enim captus et cæcatus
libens pro suis mortem appetiit,) mori pro gen-
te sua timuit: Christus Dei Filius pro servis
suis sanus, vegetus ac juvenis mori minime du-
bitavit. Quis hunc liberatorem non toto corde
amet?

Secundo, ut peccati gravitatem, et in eo pu-

niendo divinæ justitiæ severitatem, quam homi-
nes nequaquam satis apprehendunt, sua morte
tam dira et ignominiosa declaret. Quis enim vi-
dens plecti a rege filium unicum diro supplicio,
propterea solum, quod pro captivis dimissis va-
dem se exhibuerit, non animadverit maximorum
scelerum illos fuisse reos et capitales patris hos-
tes? Quando Saul audiit Naas regis Ammonita-
rum in viros Jabes Galaad, homines gentis suæ,
tyrannidem, qua omnium oculos dextros eruere
parabat, adeoque vitam eorum petebat, zelo et
indignatione correptus par boum suorum in
frusta concidit, et dissectas partes per omnes
Israelitarum terminos misit, cum interminatione,
quod nisi cum rege suo ad ultionem de hosti-
bus sumendam se armarent, idem bobus ipso-
rum futurum esset. Nec potuit alio potentiore
modo subditorum accendere animos; *Invasit
enim timor Domini populum, et egressi sunt quasi
vir unus*; ad pugnandum scilicet contra Am-
monitas, et plectendam eorum tyrannidem. I.
Reg. XI. Non dissimili modo Deus, ut mundo
demonstraret quanta tyrannide premeret homi-
nes Naas, h. e. serpens (id enim sonat Naas) ille
tortuosus, peccatum (quod homines spoliare solet
oculo dextro, visionis beatificæ scilicet seu, ut
ib. S. Gregorius M. ait? *Intuitu æternæ clarita-
tis*, ac proinde eos ad execrandum et plectendum
in se hostem illum excitaret, quid egit? Zelo
plane inauditum Filium suum unicum et innocen-
tissimum, flagellis concidit et crucifigi fecit,
adeoque morte turpissima et acerbissima quasi
dilaniavit. Quodnam aliud, obsecro, potentius
atque efficacius excogitare poterat medium ad
inflammandos homines odio peccati?

Tertio, ut per crucis scandalum et stultitiam
confunderet mundi gloriam et sapientiam. Que-
madmodum enim Samson ille fortissimus post
tam multa heroica sua facinora et victorias de
Philisthæis obtentas, permisit quidem se a suis li-
gari et tradi Philisthæis: sustulit tamen illico pro-
brum illud, quando fortia illa vincula et funes ve-
lut stuppam rupit, inventaque asini maxilla stravit
mille Philisthæos, Judi. XV, sicque ad oculum
demonstravit, se plusquam humanis adeoque
divinis viribus pollere: ita etiam Christus licet
post tot argumenta suæ divinitatis, Judæis os-
tensa, permiserit se ab eis ligari et tradi genti-
bus ad crucifigendum, mox tamen sustulit to-
tum illud crucis probrum, quando vincula mor-
tis dirumpens (et *Solutis doloribus inferni*:
Hebr. et Syr. *Solutis funibus inferorum*) resur-
rexit a mortuis, et ea, quæ mundo stultitia est,
cruce, velut asini mandibula stravit, et prostra-
vit omnes gentiles cum eorum fanis et idolis.
Qua quidem inaudita pugnandi ratione plusquam
hominem, adeoque Deum se satis superque de-
monstravit. Quamobrem bene Apost. I. Cor. I.

dixerit: *Prædicamus Christum crucifixum, Ju-
dæis quidem scandalum, gentibus autem stulti-
tiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis
Christum Dei virtutem* (h. e. potentiam) *Dei
sapientiam*. Quia, ut explicat S. Hieron. « Intel-
ligebant quidem credentes Judæi et gentes vir-
tutem Dei esse, quia devicta morte hominem
revocavit ad vitam: et sapientiam, quæ nos a
dominatione diaboli liberavit, quod ante per
incredulitatem intelligere non valebat. » Et in
procem. ad I. III. comm. ad Galat. « Philosophi
qui sapientiam venditabant, nihil hominibus per-
suadere potuerunt; at Apostoli crucem, scan-
dali petram, imbecillitatis atque ignominie si-
gnum prædicantes totum orbem subjugarunt.

Quarto denique, ut quando quidem ipse hu-
manam naturam induere voluit, humanas nos-
tras miseras, extra solum peccatum; per om-
nia degustaret quo nos querulos et impatien-
tes ad eas facilius perferendas suo exemplo sti-
mularet. Sic prudens belli dux, ut milites suos
animet ad erigenda valla et excavandas fossas,
et ipse in fossam descendit ac lignem ap-
prehendit una cum eis fodiens: sic amans
ægri medicus, ut venæ sectionem refugienti
persuadeat, et ipse in conspectu ejus venam sibi
secari patitur. Itaque « Tam pessimam mortem,
ait S. Anselmus in Epist. ad Philip. cap. II. Sal-
vator elegit, ut omnem mortem occideret. » Et S.
August. in Psal. CXL, « Utdiscipuli ejus (quin et
omnes Christiani) mortem non modo non time-
rent, sed nec genus mortis horrescerent. » Crux
enim vel sola manus pedesque secat ut gladius,
corpus distendit ut aculeus, lacerat ut ungula,
laniat ut bestia, urit cruciatque ut focus, adeo-
que lento quasi igne consumit. Quemadmodum
ergo S. Xaverius nusquam misit patrem aliquem
societatis, ubi ipse prius non fuisset: ita Chris-
tus Dominus omnis generis dolores prius degus-
tavit, quam eas propinaret martyribus et aliis
miseris atque oppressis; ne quis cogitaret eos
non ad vitam et salutem, sed ad mortem et per-
ditionem tendere atque terminare. Quod idem
S. August. bene advertit I. de agone Christ.
cap. XI. « Nolite, inquit, timere contumelias, et
cruces et mortem, quia si nocerent homini, non ea
pateretur homo, quem suscepit Filius Dei. » Tan-
tum igitur abest, ut scandalum alicui crux esse
possit aut debeat, ut potius calcar aureum et
stimulus sit vehementissimus ad amplectendam
cruem et omnem tribulationem. Non enim
est discipulus supra magistrum, nec potest jam
quisquam dicere, se plus pati aut laborare
quam passus sit dux noster: *Nec habemus pon-
tificem, qui non possit compati infirmitatibus
nostris, tentatum autem per omnia pro similitu-
dine absque peccato*, ut ait Apostolus ad Hebr.
IV.

Vidimus quam immerito, quam temere et
stulte impeerint in Christum Judæi et gentiles;
qui cum lapidem illum angularem, ambos ipsos
in unam Ecclesiam convocantem, ac demum in
cœlestem beatitudinem evocantem non audire
tantum, sed obviis etiam ulnis amplecti et exos-
culari debuissent, suis pedibus truserunt et
sese repulerunt, adeoque effecerunt, ut gemma
pretiosissima fieret eis petra scandali et lapis
offensionis, a quo conterentur. Nos vero qui
pestem hanc agnoscimus esse lapidem angula-
rem, summum, electum, pretiosum, unicum
munimentum et ornamentum nostrum, quanto
plus a Judæis spretum esse novimus, tanto ma-
jore desiderio et amore complectamur, et quanto
is amore nostri et pro salute nostra vilior factus
est, tanto nobis charior sit.

CONCIO II.

VESTIUM LUXUS DAMNIS ET PERICULIS PLENUS.

Aula perniciosa et periculosa, uti et vestitus mollis. —
I. Quia plurimo constat. — II. Tempus male consu-
mit. — III. Subditos premit et pauperes negligit. —
IV. Multa animæ pericula continet.

THEMA.

Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.
Matth. XI.

Non obscure Salvator noster taxat vitam
aulicam velut cœlo parum similem, adeoque
pernicie et periculis plenam, dum Joannem
asperis indutum negat in aulis morari; ubi non
morantur, nisi qui mollibus vestiuntur. In
aulam Assueri memini licebat sacco indutum
ingredi Esther. IV. at in aulam Christi nemini
concessum molli vestitu ingredi; qui vero
sacco pœnitentiæ et amictu aspero induuntur,
locum ibi inveniunt. Ergo vestitus mollis, aulæ
quidam partus est, adeoque aulicum quid. *Quod
enim natum est ex carne caro est*, ait Dominus
Joan. III. et quod ex aula natum, aulicum est.
Hinc nos Germani superbiam appellamus voce
derivata ab aula, q. d. aulicus vestiendi modus.
Quare sicuti partus uterum sequitur, ita et ves-
tium luxus aulæ conditionem. In aulis vero
regum, quid non malorum, quid non periculo-
rum hospitatur? Quod in matre cernitur idem
in filia ejus, superbia, quæ mollibus vestitur,
apparet; uti hic ostendemus.

I. In regum aulis plurimi sumptus fiunt
inutiles et inanes in pompas, ludos, choreas,
spectacula, convivia: qui alioquin maximo
reip. bono fieri possent in pauperes, stipendia-
rios milites, servos bene meritos, etc. Pari
modo in vestitum pretiosum et superfluum
pecuniæ plurimum expenditur, nullo prorsus
fructu, sed magno potius damno. Illud testatur
Jer. c. IV. dicens: *Cum vestieris le coccino, cum*

ornata fueris monili aureo, et pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris: contempserunt te amatores tui, animam tuam quaerent. Alludit propheta ad Jezabelem, quæ intrante Jehu hoste in Samariam, *Depinxit oculos suos stibio et ornavit caput suum*; ut in sui amorem illiceret regem Jehu: sed frustra: nam Jehu quærebatur animam et regnum, unde et præcipitari eam jussit, VI. Reg. IX. Frustra etiam sumptus in pretiosas vestes faciunt et se componunt comptuli, quia nec Deo, nec hominibus, saltem intelligentibus placent, sed multo maxime displicent Deo; quia ejus imaginem corrigere præsumunt. « Si quis pingendi artifex, ait S. Cypr. I. de habitu virginum, vultum alicujus et speciem, et corporis qualitatem æmulo colore signasset; et signata jam consummatoque simulacro manus alius afferret, ut jam formata, jam picta, quasi peritior reformaret, gravis prioris artificis injuria et justa indignatio videretur. Tu te existimas impune laturam tantæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Et si enim impudica circa homines et incesta fucis lenocinantibus non sis: corruptis tamen violatisque quæ Dei sunt, pejor adultera detineris. « Sic ille. Angelis etiam displicent, quia imaginem Dei, qua illis cognati sunt, vano et animali habitu, a brutis fere desumpto, conspurcant magis quam ornant. Notum ex S. Antonio illud angeli factum, qui cum eremicola ambulans nares suas clausit ad occursum juvenis superbe adornati, cum eremicola prius suas oclusisset ad fetorem cadaveris. Displicet etiam conjugibus, quando alter nimio luxu dotem et labores alterius dissipat, et forte alienos quoque venatur amores. Multi mariti nunquam e debitis ad opes emergunt, quin et subinde ad invitas rediguntur ob insatiabilem uxorum suarum luxum. « Multæ etiam ineptæ matronæ, inquit S. Isidorus Pelusiota lib. V, ep. XXV, hunc vestigantes ornatum, invisæ atque odiosæ conjugibus redditæ. At animi ornatus, qui e virtute nascitur, ei convictus desiderium excitat, ac mutua est benevolentia philtrum. » Displicet et aliis, qui non sensibus, ut pecora, sed ratione ducuntur; necnon æmulis quoque, quos ad obtreptandum provocat. Unde B. Petrus Damiani apolog. XIII. « Cum nitor, inquit, indumenti ad intuentium se oculos provocat, linguas etiam ad carpendum hunc, qui induitur derogationem, spiculis armat. Quæ enim sit mens, ex veste colligitur, et juxta exteriorem cultum, quæ sit interioris species judicatur. » Sed audiamus etiam Chrys. I. de virginit. c. LXI. « Quid lucri est, in multis aureis ornamentis? Nihil aliud omnino nisi invidia, nisi curæ, nisi formido non mediocris. Neque enim tum,

cum ea ornamenta in arca collocarint, neque cum nocte opprimuntur, tantum sollicitudine commoventur, sed, cum illis luce etiam exornantur, eandem, vel graviorem potius habent molestiam. Etenim in balneis et in cœtibus præsto sunt mulieres; quæ furta faciunt, atque, ut illa non adsint, impelluntur in turba, et urgentur ornata auro, ut nihil illis sentientibus aureum interdum aliquod ornamentum excidat, itaque multa non isto modo, sed quæ majoris etiam pretii erant facta ex pretiosis gemmis, avulsa ac delapsa monilia perdiderunt. Sed fac esse, ut nihil ejusmodi sit timendum, et ut hujus rei cura tollatur. Est, inquit, eum aspectum quispiam admiratus, at non ejus admiratio, quæ ornatum gestat, sed ornamentorum, cui sæpe etiam id vitio versum est, quod præter dignitatem eum haberet ornatum, nam si formosa fuerit, naturalis nitor offenditur, quod ille nimius ornatus maximam partem adimens venustatis, ipsam formæ veritatem elucere non sinit, sin etiam deformis illa, turpisque fuerit, eo turpiorem reddit ornatus. Deformitas enim semper, quantacumque est, per se modo eminet et apparet: cum vero vel gemmarum splendor, vel cujuspiam alterius rei pulchritudo accessit, tum magis etiam ea turpitudine deformatur. »

II. In regum aulis temporis pars magna male perdi solet confabulationibus, ludis, venationibus, conviviis, somno et his similibus. Sic et in ornatu corporis, ut nihil aliud mali fieret pretiosi saltem temporis magna pars conteritur, juxta id comici: *Dum motiuntur, dum comuntur est annus*. Unde enim fit, ut nobiles et magnates, communiter fere omnes, tam sero ad rem divinam accedant, aut etiam negligant, nisi quia domi sese comendo, pectendo, vestiendo in speculis contemplando, totum pene tempus matutinum insumunt? Quid autem hac jactura perniciosius? Ælianus homo ethnicus taxat Myrmeadem Milesium, et Callieratem Lacedæmonium, quod quadrigas fecerint, quæ sub musca possent abscondi, et in sesamo elogium litteris aureis inscripserunt, illis verbis: Quorum sane neutrum, mea sententia, laudaverit sapiens. Quid enim hæc aliud sunt, quam vana temporis jactura? I. I., var. hist. c. VII. At hi ingenium saltem nullius damno excoluerunt: qui vero ornando corpori horas et dies impendunt, nihil interim aut vix aliquid polientæ animæ dant, nonne magis culpandi sunt. Sanctus ille Nonnus, episcopus Hierapoli, videns Pelagiam, Antiochenam meretricem, forte in platea transeuntem, usque adeo comptam et ornatam, ut nihil præter aurum, margaritas et gemmas in ejus vestibus cerneretur, ad astantes dixit: « Quid putatis? Quantas

horas fecit in cubiculo suo hæc mulier, lavans et componens se, cum omni sollicitudine animi et intentione ad spectaculum ornans se, ut corporali pulchritudini et ornatui nihil deesset, quatenus omnibus placeret; ne turpis videretur suis amoribus, qui hodie sunt et crastino non sunt? » Post ingressus cubiculum suum jactavit se in pavementum, percutiensque pectus suum cum lachrymis dicebat: « Domine Jesu Christe ignosce mihi, quia unius diei ornatus meretricis superavit ornatum animæ meæ. » Ita Jac. diac. in ejus vita apud Rosw. et Sur. VIII, Oct.

III. In regum aulis subditi premuntur exactionibus et laboribus, pauperes negliguntur. De posteriore hoc nemo dubitat, de priore habemus testimonium ex ore Dei, I. Reg. VIII. loquentis per Samuelem: *Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, et ponet in curribus suis, facietque sibi equites et præcursores quadrigarum suarum, etc. Agros quoque vestros, et vineas, et oliveta optima tollet et dabit servis suis, etc.* Unde enim aulici vivunt nisi ex sudoribus subditorum et rusticorum? Horum silvas, agros, prata, infestant suis venationibus, feris, vecturis et similibus. Idem agunt illi, qui in luxum vestium nimium profusi sunt. Ut enim ipsi splendeant in auro et argento, gemmis, holoserico, una cum familia sua, quantis exactionibus premunt suos subditos? Ita enim de illis Jeremias. c. II. ait: *In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum*. Alas vocat vestium oras, veluti fimbrias pretiosas, vel manicas dependentes, et similes superfluitates, ad solum ornatum excogitatas minimeque necessarias, uti etiam plumas caput adornantes. Hæ cruentant sanguine pauperum, qui inde se adornant; quo modo aquilæ vel accipitres dum minores aves rostro et unguibus lacerant earum cruore suas alas aspergunt. Horum enim ornatum pretium a pauperibus extorquent, vel mercatoribus et factoribus adhuc debent, vel per injustitias acquisierunt. Recte hujusmodi vestes alæ vocantur; tum quia lacinoso ambitu late panduntur: tum vel maxime, quia vestibus, uti alis volucres, in altum sese efferunt, et in publicum ad se ostendendum prodeunt, qui alias domi se continent, uti femina præsertim. Hinc Clemens Alex. III. pædagogi c. XI. « Ea (inquit) quæ a feminis ad luxum comparantur, ab eis tanquam pennæ detrahenda sunt, ut quæ instabilem superbiam ac mollitiem inanesque voluptates procreent: quibus excitata et quodammodo alata a matrimonio resiliunt: quocirca femina honeste ornanda et pudico pudore astringenda sunt, ne a veritate propter molli-

tiem diffuant. » Sic ille verissime; nam his varicoloribus et fulgentibus alis in alienas domos quasi evolant, ut se spectandas præbeant; unde sæpe in accipitrum manus incidunt. Has igitur alas nisi mariti eis evellant, jure cum illis pœnas aliquando dabunt, quod exemplo illius debitoris, qui una cum uxore et liberis vendi jussus est in parabola, Matt. XVIII. dicere possunt. Id observat Oleaster in cap. XXXII. Isaia ad illud: « Mulieres opulentæ surgite, ait enim: Arguit et merito hic vates opulentas feminas, quoniam novit viros propter eas multa mala committere. Quis diceret nunc quot furta, extorsiones, homicidia et mala viri operantur ad alendas uxores cum liberis? Et quid ad alendas dico? Dicam melius, ad ornandas et pingendas rebus superfluis? Hac de causa arbitror regem illum, cujus Matthæus meminit, servi sui, qui non solvendo fuit, uxorem et liberos vendere præcepisse, quoniam noverat horum gratia eum tot furta et debita contraxisse. » Accedit etiam quod hoc luxu parando et conservando pauperes defraudentur suis elemosynis, utque ornatus ille superfluis superbis non desit, pauperibus necessaria desint. Unde S. Hieronymus epist. XXII. lamentatur: « Inficiuntur membranæ purpureo colore, aurum liquescit in litteras, gemmis codices vestiuntur, et nudus ante fores eorum moritur Christus. » Quod ille scribit de ornatu codicum, intellige de ornatu vestium.

IV. In aulis regum plurima animæ pericula sunt, ut notum omnibus, et etiam gentilibus, e quibus Lucanus VIII. Pharsal. canit: *Exeat aula, qui vult esse pius*. In luxu etiam vestium multæ animorum syrtes et scopuli reperiuntur. Nam in primis hec inanimem emollit et facile ad luxuriam trahit, unde forsitan luxus appellatur, quasi mater luxuriæ. Hinc etiam a Christo mollia vocantur: *Qui mollibus vestiuntur, etc.* In quæ verba sanctus Bernardus sermone ad sororem. « Vestimenta mollia sunt, quæ mollem efficiunt animum. » Et S. Chrysost. hom. XXIX. in Ep. ad Hebr. « Molle, inquit, vestimentum etiam fortem dissolvit et frangit animum ac dissolvit. » Quid vero de hoc Sapiens? *Circulus aureus in naribus suis*, inquit, Prov. XI. *mulier pulchra et fatua*. Circulus aureus quid nisi vestes aureæ et fulgidæ? Atqui circulo naribus inserto trahuntur bestia, ut bubali imprimis, quin et porci aliaque quacumque volueris; item et mulieres ad spectaculum ornatae quasi in foro venduntur. Vitulus ille aureus, idololatriæ et luxuriæ parens, unde quæso prodiit; nonne ex inauribus aureis mulierum Hebræarum, earumque filiorum ac filiarum? Ita enim loquitur Aaron: *Proiecit illud (aurum scilicet inaurium) in ignem, egressusque est hic vitulus*, Genes. XXXII q. d.

non efformavi illud, sed ita ex igne prodiit. Hoc igitur est, quod nullo omnino negotio, sed naturali quasi consequentia prodit ex superbo ornatu, vitulus lasciviae. Deinde ad fastum et arrogantiam animum extollit. Quis enim in veste splendida, praesertim si laudetur aut suspiciatur, seipsum non miratur et circumspicit, indeque alios, qui vilioribus sordent, non contemnit? Ipsi equi phaleris ornati fastum praese ferunt; quod imprimis de Bucephalo, qui regio instratus ornatu neminem in sedem recepit, praeter Alexandrum, testatur Plinius l. IX. c. XLII. Hujusmodi equus fuit Herodes Agrippa, de quo Joseph l. XIX. antiq. c. VII. scribit: «Pervenit in urbem Caesariam, ubi solemnes ludos celebravit pro salute Caesaris: ad quam festivitatem magna multitudo nobilium ac procerum convenerat ex tota provincia. Ejus solemnitatis die secunda processit mane in theatrum amictus veste tota ex argento mirabili opere contexta, quae radiis exorientis solis percussa, ut divinum quemdam splendorem emittens, venerationem cum horrore excutiebat spectantibus: moxque adulatorem perniciosi acclamantes, deum consalutabant, rogantes ut faveret propitius; hactenus enim ut hominem reveritos nunc agnoscere et fateri in eo quiddam mortali natura excellentius. Hanc impiam adulationem ille nec castigavit nec repulit: pauloque post suspiciens vidit supra caput suum bubonem funi extento insidentem; moxque secuta sunt ventris tormina, etc.» Nam, ut Act. XII. dicitur: *Percussit eum angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, et consumptus a vermibus exspiravit.* Denique insidiis homines exponit, seu juvenes, seu feminas. Alexius Comnenus imp. orientis, uti refert Nicetas lib. I. in festo natalis Christi, cupiens legatis Caesaris Henrici VI. terrorem suo luxu injicere et a petitione tributi quinquaginta auri centenariorum, eos deterere, gemmatam vestem induit, et reliquos suos omnes auratis vestivit. Quo spectaculo Alemanni adeo non obstupuerunt, ut eorum cupiditas illo splendore magis etiam inflammaretur, et Graecos ut ignavos homines et servilibus deliciis deditos quamprimum oppugnandi occasionem optarent. Nihil magis sapiunt, qui seipsos comunt, et ad spectaculum adornant, mulieres praesertim, viros enim et juvenes adeo non absterrent a commercio suo, ut vehementer incitent ad insidias sibi struendas; ut quae molles sese et quasi venales ostendant.

V. In aulis regum plurimi insidiatores sunt, qui alios honoribus et officiis deturpare, aliorum pudicitiam expugnare, alios principum favore exuere conantur. Idem videre est in vestium uxu, qui nihil aliud est, quam aureus ille calix

meretricis auro et bysso adornatae, propinatus ad bibendum hominibus, plenus immunditia et fornicatione ejus, Apocal. XVII. Jam vero «Dic mihi, inquit S. Chrysost. sermone: Quod regulares feminae. tom. V. quos puniunt iudices? Num eos qui bibunt mortifera venena, an miscetes calicem, etc. Tu autem misera et calamitosa miscuisti calicem hunc perniciosum et praebuisti: et ille, qui bibit perit, et defensam te credis quia tu non bibisti, etc.» Miscent hoc venenum viris feminae, dum insolentius se adornant. Hinc Euripides ait mulierem ornatam «Foris aliquid mali quaerere.» Et Pythagoras Crotoniensem populum in luxuriam collapsam, hac una arte facile retraxit dum mulieres suos fucos et ornatum deponere jussit, ut Justinus lib. XX. refert. Praeceptum legimus, Exod. XXI. *Si quis aperuerit cisternam et foderit, et non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam, reddet dominus cisternae pretium jumentorum.* Cisterna quaedam est mulier, teste Sapiente Prov. V. ubi viro de uxore dicitur: *Bibe aquam de cisterna tua, h. e. uxore tua contentus esto: «Sed talis cisterna (inquit S. Bernardinus Sennensis ser. XLVI. quadrag. tom. I.) incaute aperitur, quando mulier cultu meretricio exornatur. In illam utique non opertam bos vel asinus cadit, quando occasione indebitae vanitatis aliquis per concupiscentiam ruit. In quo casu ejus anima de mulieris vanae manibus requiretur, cum det ad hoc efficacem causam.»* Aperitur, inquam, incaute cisterna, cum partes corporis tegendae nudantur potius quam vestiuntur, dum tenuissima et pellicula sindone obducuntur; quod extremae dementiae atque impudicitiae est. Ac licet in hujusmodi cisternam nemo incidat, non tamen is, qui aperuit, pro peccato immunis erit, uti scribit S. Isidorus Pelusiota l. II. ep. CCLXXXIX. «Mulier ornandi corporis studiosa, inquit, atque ob eam causam in forum se conferens, aut per fenestras prospiciens ut juvenes irretiat, etiamsi a conatu suo excidat, tamen proinde ac si eos irretiisset, condemnatur. Id enim omne, quod in ipsius potestate erat effecit, ut quae et venenum miscuerit et retia expanderit, et laqueos omni studio ac diligentia statuerit.» Idemque de viro pronuntiat subdens: «Quod si vir ob eandem causam lascivians, quam virum deceat, se ornavit, ipse quoque acerbissimas poenas omnino pendet, tametsi etiam nulla reperitur, quae poculum bibat.»

Quando igitur vidimus perniciosae matris perniciosam filiam, superest, eam toto pectore vitemus. Quando ad Aquileiam milites Maximinum imp. occiderunt, etiam filium ejus peremerunt dicentes: «Ex pessimo genere nec catulum retinendum.» Cuspinian. Pessima parens aula regum plerumque est: pessima ejus filia est

vestium superbia. Hanc ergo mactate, ne ipsa vos mactet, ex pessimo genere pessimus catulus.

CONCIO III.

VESTIUM LUXUS COELO INHABILIS.

Exultant e caelo qui mollibus vestiuntur.

I. Quia immundi sunt. — II. Quia abominationem faciunt. — III. Quia faciunt mendacium. — IV. Non sunt scripti in libro vitae.

Quid existis (in desertum) videre hominem mollibus vestitum? Matth. XI.

Audiemus in hodierno Evangelio mollibus vestitos in deserto non reperiri. Si in deserto non reperiuntur, nec in caelo locum habent, siquidem et caelum quoddam desertum est; uti discimus ex parabola de ove perita, quam requisivit bonus Pastor, relictis in deserto reliquis nonaginta novem ovibus. Haec enim (ut exponit S. Greg. Hom. XXXIV. in Evang. S. Ambros. et V. Bed. in Lucam) sunt angeli in caelo. Nec male a Christo caelum appellatur desertum, quia instar deserti nobis in terra degentibus est incognitum atque impervium. Rursum, quia «Desertum dicitur derelictum, inquit Haymo in eum locum. Et quare caelum dicitur derelictum? Quia tunc homo deseruit caelum, cum peccavit. Nisi enim peccasset, sine morte corporis, sine infirmitate, sine senectute, completo numero electorum, de paradiso terreno transiret ad paradysum caelestem.» Denique desertum appellari potest, quia a majore hominum parte deseritur et spernitur, mundoque huic postponitur, uti patet ex parabolis coenae magnae et convivii nuptialis, ab invitatis sprete ac neglecti. De hoc etiam deserto bene intelligere possumus, quod ait Dominus: *Quid existis (in desertum) videre? Hominem mollibus vestitum? q. d. nequaquam istiusmodi homines in caelo visuntur; quum vestium mollities et luxus caelo inhabilis est. Qui mollibus vestiuntur, in domibus sunt: ait: «Qui vero talia vestimenta non habent, in caelis sunt:» ait S. Chrys. hom. XXIX. in Ep. ad Hebr. Et S. Greg. hom. VI. in Evang. «Quid est, inquit, dicere: Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt: nisi aperta sententia demonstrare, quia non caelesti, sed terreno regi militant ii, qui pro Deo perpeti aspera fugiunt et delectationem quaerunt? Nemo ergo existimet in luxu atque studio pretiosarum vestium peccatum deesse: quia si hoc culpa non esset, nullo modo Joannes Dominus de vestimenti sui asperitate laudasset. Si hoc culpa non esset, nequaquam Petrus apost. per Epistolam feminas e pretiosarum vestium appetitu compesceret, dicens: *Non in veste pretiosa.* Pensate ergo*

quae culpa sit, hoc etiam viros appetere, a quo curavit pastor Ecclesiae et feminas prohibere.» Ita S. Greg. Porro nunc videndum, cur hujusmodi homines caelo sint inhabiles. S. Joannes apostolus cum Apoc. XXI. vidisset ac descripsisset caelestem civitatem, in fine subdit: *Non intrabit in eam aliquid coinquatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni.* At vero qui mollibus vestiuntur, seu luxu vestium delectantur, revera tales sunt; non ergo intrabunt in caelestem illam Jerusalem.

I. Coinquati animo et immundi sunt. Testatur id imprimis S. Bernardus serm. super Missus est: «Vestium curiositas, inquit, deformitatis mentium et morum indicium est.» Et iterum de consider. III: «Quanto amplius corpus foris propter vanam gloriam componitur atque ornatur, tanto interius anima fadatur et sordidatur.» Rursum in apolog. ad Guil. abb. sub finem. «Mollia indumenta animi indicant mollitiem: non enim tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens, virtutibus inculta.» Consentit S. Cypr. lib. de habitu virg. «Si tu te, (inquit,) sumptuosius comas, et per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, suspiria adolescentum post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, peccandi fomitem succendas, ut etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, et velut gladium et venenum videntibus te praebas, excusare non potes, quasi mente casta sis et pudica; redarguit cultus improbus et impudicus ornatus, etc.» Accedit S. Ephrem Syrus serm. de vita et exerc. monach. «Ornatus vestium (inquit) nos sapere terrena significat, vestisque accurate composita vera illa gloria nudos esse testatur.» Et sanctus Chrys. hom. XVIII. in I. ad Cor. «Difficile est enim, difficile, o dilecti, fortasse autem etiam fieri non potest, ut sic ornato corpore simul quoque ornetur anima: sed necesse est, ut si alterum curetur, alterum negligatur.» Et in orat. calendis habita tom. V. «Eousque mollitiae, (inquit) usu delapsi sunt homines, ut et calceos exornent, et omni ex parte (aeque enim ac faciem suam nonnulli componunt) variari soleant: quod animae impurae ac depravatae signum est. Licet enim perexiguum hoc esse videatur, tamen tum in viris, tum in feminis magnum perditae mentis argumentum et significatio est; ingressu enim et amictu nos Deum gloria afficere posse, cognosce ex eo, quod olim sapiens quidam (Eccles. c. XIX.) dixit: *Vestitus viri et risus oris, et incessus pedum indicant hominem.* Neque solum SS. Patres hoc iudicium tulere de insolenti vestium luxu, sed etiam gentiles. Notum id, quod de Julio Caesare scribit Suetonius usum lato clavo (veste senatoria